



00 Kr

Y 947  
Qu



43

DISSERTATIONEM  
CHIRURGICO-MEDICAM  
DE  
**PARONYCHIA,**

PERMITTENTE  
*GRATIOSISSIMA FACULTATE MEDICA*  
ALMÆ ELECTORALIS VIADRINÆ,

PRÆSIDE  
**DN. BERNHARDO ALBINO,**

PHILOS. & MEDICIN. D. P. P. ORD. SERENISS. ET.  
POTENTISS. ELECT. BRANDENBURG. CONSIL.

ET ARCHIATRO,

*DOMINO PATRONO ET PRÆCEPTORE SUO,  
NUNQVAM SATIS SUSPICIENDO*


Ad Diem 2. Novembr. Anno M DC XCIV.  
publicæ eruditorum indagationi  
permittet

**NICOLAUS PRIVIGYEI**  
N. Hung.

\*\*\*\*\*

FRANCOFURTI ad VIADRUM,  
Typis CHRISTOPHORI ZEITLERI







## NUMINE PROPITIO.

Ondum eo loco mea studia in  
Re Medica esse sentio, ut in pu-  
blicum prodire & insigne artis  
specimen exhibere possim: In-  
genii mei tenuitas rerumque  
amplitudo & pondus incom-  
mensurabilia sunt, ut silentio facile futura sit  
venia, eo verò rupto exprobrationum, quibus  
qvod regeram habeam nihil, nullum forc numerum  
facile prævideo. Hoc tamen cum rationes  
domi meæ notæ à me exigant, missis graviori-  
bus, cum capiti mederi non possum, Reduviam  
curabo; circa extrema occupabor, ne illotis,  
qvod ajunt, manibus, qui in Artis Medicæ lim-  
bo hæreo, in interiora ejus irruisse videar. Qvod  
dum facio Reduviam tamen non curo, si enim  
affectus truculentiam, medendi difficultatem &  
subinde crudelitatē intuearis, hunc facile pluri-  
mis anteferri, mecum, qui propriâ experientiâ  
edoctus hæc scribo, fateberis. Curaturus igitur  
Reduviam tuam B, L. imploro benevolen-  
tiam obnixè rogans, ut conatus meos benignè  
interpretari & mihi bene cupere velis.

Aa

Th. I.

**P**ARONYCHIA Græcæ originis vox est, à primitivo ὄνυξ ungvis oriundi qvæ ferè semper παρωνυχία, vel παρεωνυχίς, subinde tamen etiam παρεονυχία scribitur, huic morbo tributa, qvod ad ungrium radices malum nascatur. Latinis hic Affetus dicitur Reduvia, Redubia, Ridivia, Redivia, Reluvia aliis à luendo seu solvendo, aliis ab inusitato reduere, sicut exuviæ ab exuere, cùm nova fiat cutis & ungvis vestis cujusdam instar regeneratio, aliis à redivire, qvod resolvere est, aliis ab iduando seu solvendo suæ denominationis patrocinia desumentibus. Pandalitium vel Passam vocat *Parac. de Apostem. C. 15.* Reduviam à Paulo Pterygion dici, ait, *H. Fabricius ab Aqua pendente Chirurg. part. 2. cap. 107.* Notat tamen M. A. Severinus Pterygion esse partis incrementum, præter naturam, alias agnatæ oculi tunicæ, nunc digitorum, potissimum pollicum secus ungues exulceratorū hypersarcosin, qvandoq; ex Redivia neglecta & ab inflammatione in pus conversa. *Pyrotech. Chirurg. lib. 2. part. 1. c. 71.* Arabes Panaritium vocant. Batavi Vyt, Fyt, Fick. Itali Mal del Pino, qvodrupto abscessu caro succrescens pinus formam habeat; Alii etiam Mal del fico, qvod folia ficus arida & lac ipsius hunc affectum sanent. Germani den Wurm / qvia in dolore aliquid quasi repere sentiant, oder das Uingenannte / qvod superstitioni sine dolorum augmento nominari non posse sibi persuadeant, Hungari Köröm mellet bőr fölfoszlás, homlás, evesölés vel uti sub Tit. Redivia Lex. sui Græco-Latini *Albert. Molnar* habet: Az Köröm gyökér mellet bőrnek fölfoszlása megévesülése magis verò propriè Köröm

*De Paronychia.*

5

rōm méreg appellant. De his similibusq; si plura  
desideres adi *M. Glandorp Meth. Med. Paron. cap. 6.*

II.

Plantis etiam hoc nomen datum est ἐν τῷ παρω-  
νυχίᾳ ιατρῷ seu ut *Galenus de Simpl. Med. fac. lib. 8.* ait: ab  
effectu qvod Paronychias sanent, qvæ inde etiam Fin-  
gernägel-Kraut dicuntur apud *Joh. Theod. Tab. lib. 2. c. 78.*  
Qvanqvam nondum ita planum sit qvam propriè her-  
bam intellexerit Galenus, diversis namq; tribuitur,  
ita enim Anthyllis nivea P.B. Polygonum maritimum  
fol. alsines Mor. *Paul. Hermann. Hort. Lugd.* Saxifragia  
bulbosa montana à Fabio Columna, Adianthus al-  
bum à Dodonæo, sed qvo jure jam non disqvirimus,  
appellantur.

III.

Reduvia olim alio, qvàm hodie, sensu accepta  
fuit, minusq; malum denotavit, qvo sensu illam M.T.  
Cicero cum pro Sex. Roscio Amerino diceret, inquit:  
*Intelligo me ante tempus judices hoc scrutari & propemo-  
dum errare, qvi cum capiti Sex. Rosci mederi debeam redu-  
viam curem.* Adeò ut in proverbium abierit apud  
Græcos pariter atq; Latinos, qvo is de Reduvia con-  
queri dicebatur, qvi omisisis gravioribus circa mini-  
ma occupabatur. Qvod cum de malo truculentissi-  
mo dici non posfit, ut etymi ratio constaret, illum  
affectum per Reduviam olim intellectum credunt,  
cùm cutis, qvæ radices ungrium attingit, finditur at-  
que resolvitur, Germanicè Neit-Nagel/verum hujus  
consideratio mei instituti non est.

IV.

Sed illum considerabo affectum, cum extrema  
digitorum exquisitissimo corripiuntur dolore, qvi

A 3

non

non raro per totum brachium extenditur, pulsatili vel rodente, aliquando cum, aliquando sine tumore notabili, febris adest continua, adest subinde lipothyrmia, osfa quandoque; prius quam credideris carie arroduntur, saepè pustula apparet rubicunda, quā aperata tenuis & acris effluit ichor, digitus inflammatur & inflammatio in apostema vergit, eschara remota luxurians caro propullulat, interdum ante factum apostema sphacelatur. Quorum omnium symptomatum tam pertinax atrocitas est, ut ex Gvidonis Vigenisq; sententia æger saepè moriatur.

## V.

Notant Practici nec æquè semper truculentam nec æquè profundam esse, duplaremque esse Paronychiæ speciem, alteram ad ungvis radicem nasci ac plerumque in superficie duntaxat cum nonnullo dolore, alteram vero profundam juxta os sub periostio cum acerbissimo doloris sensu, J. Vigier. Chirurg. L. I. cap. 44. Signa quibus ab invicem discernuntur, multum enim in cura refert ea scire, notat J. de la Charriere dum cap. 37. scribit: Ordinarij, ejus statuntur duas species, in una materia est sita inter periostium & os cum ardore & dolore acutissimo, pulsatione profunda magna tensione & febre ardente; in altera, quæ modo in carne sita est, calor minor, minor dolor, pulsatio non adeò profunda, minor tensio & fere nulla febris sentiuntur. De spuria, quæ medium & tertium articulum digitorumque interstitia non raro occupat, nihil addo, cum nec proprie Paronychia sit, nec cura multum variet.

## VI.

Causæ Procatarrheticæ hujus affectus ita observari nequeunt, cum ex improviso homines cæteroquin sanisfi-

sanissimos, nullo prægresso errore invadat. Sunt tamen qvandoq; tales, nec improbabile mihi est, qvod notat F. Platerus scribens: *Sic non minimam inflammationis illius, circa ungvium radices, Paronychia dicta, sub oriri solita, causam esse observavi, qvod ancilla, qvia vasa immunda aqua fervente, intus ablueret solent, digitos frequenter perurendo, adeò ut unges illarum, cum hoc sàpè fiat, incurvantur, hoc malum sàpiuscule sibi accersant.* *Prax. Med. Tom. 2 cap. 17.* Confirmat hoc M. Glandorp. dum se Coloniæ & aliis in locis, ubi eæ ipsæ aqua, quâ immunda vasa purgare necessè habent, cineribus repleta, hunc frequentem magisq; contumacem doloribusq; insequioribus præditum affectū reprehendit. *Meth. Med. Paron cap. II.* Rarior observatio est qvâ mulier in cardialgia vehementi cū ardore circa præcordia cura seri lactis caprilli per mensem usq; in sinistræ manus tribus digitis paronychiâ longè dolentissimâ correpta est; cumq; eâdem rursus tentaretur cardialgiâ & caprilli lactis seri usum repeteret denuò Paronychia dextræ manus auricularem & indicem sinistræ occupavit. Ejus etiam octennis filiola, cum serum istud hauriret, in apicibus digitorum aliquot Paronychiarū præludia sensit, qvam annotatam vide in *A.N.C. Dec. 2. an 10. obs. 187.* Externis causis etiam contusiones, puncturæ in extremis ungibus &c. annulerantur. Nentibus etiam, digitis indice ac pollice emungentibus, digitos fugentibus, semi cincta placentibus, manusque frequenter sapone cui permistum oleum tartari lavantibus hunc affectum frequenter accidere cognovit. *M. Gland. de Paron. cap. II.*

## VII. Cau-

## VII.

Causa proxima hujus morbi & symptomatum  
qvalis sit inter Medicos non ita convenit. Sangvinem  
tenuem & biliosum vel exustum & melancholicum  
culpat *Falloppius de tumor. præt. natur. cap. 29.* In priori  
cum eo consentit *P. Forest. Obs. Chirurg. lib. 5. Obs. 16.* in  
hoc *D. Sennertus Prax. Tom. 3. lib. 5. Part. 1. cap. 14.* Humo-  
rem virulentum & venenatum. *A. Paræus Chir. lib. 8. c. 21.*  
acrem atq; malignum. *P. Barbete Chirurg. part. 2. lib. 1.*  
*cap. 15.* volatilem aqvæ forti analogum. *H. Overkamp.*  
*Chirurg. part. 1. c. 7.* acido acrem & acri salinum, simul-  
qve volatilem, aqvæ stygiæ haud absimilem præter-  
qvam qvod hic multo volatilior sit, *J. Munnicks Chir.*  
*lib. 1. cap. 29.* effervescentiam & alterationem particu-  
larum biliosarum & sulphurearum sangvinis. *J. de la*  
*Charriere Nouv. Oper. de Chirurg. cap. 37.* Materiam ex  
qva nascuntur vermes transmutari in duos exitus,  
ut in vermem ratione putrefactionis & in apostema  
radicale causa loci. *Th. Paracelsus Chirurg. Min. Lib. 3.*  
*Cap. 3.*

## VIII.

Culpâ sangvinis quandoq; fieri ejusq; intempe-  
riei originem aliquando deberi nullus inficiar, id ve-  
rò semper ita se habere mihi vix persuadeo, cum cu-  
juslibet temperamenti homines nulla habitâ ætatum  
ratione sanissimos etiam ex improviso corripiant, qvod  
ita se non haberet, si non nisi ex intemperato sangvi-  
ne proveniret, cùm intemperies istæ nec in momen-  
to fieri nec rursus cessare possint, curata, verò Redu-  
via intemperiei nulla restant vestigia. Ipse etiam  
*Fallopianus* mecum in eadem versari videtur senten-  
tia cùm scribit: *Si in principio vocati eritis non faciatis*

162

De Paronychia.

9

ut faciunt recentiores, qvi hanc valde timentes communiter venam secant, alvum leniunt & cum pharmacis biliosum humorum eductentibus corpus expurgant: tenuem etiam vietus rationem instituentes: Si enim scirent qua ratione ista tractanda, non devenirent ad hæc, sed sine his locum affectum sanarent. Humorem esse virulentum, venenatum & malignum largior omnino, dummodo in quo vis ista virulenta, maligna atq; venenata consistat paulo explicatius diceretur. Vermes aedesse, rodentis doloris sensus persvasostenet ægros non modo, sed observationes etiam id testari videntur. Singularis & huc apprimè faciens illa est, quam notavit Joh. Agricola scribens: Ein wunderlich Ding ist es mit dem Wurm an den Fingern / daß derselbe so einen grausamen Schmerzen / und so ein gefährliches Geschwir erwecket / und sagen die Galenici Medici, daß er von einer solchen scharfen Cholera komme / welche sich in den Finger setzet / und dieser Meinung bin ich lange zeit gewesen / aber ich habe hernach gesehen / daß dem nicht also sondern es ist ein warhaftiger lebendiger Wurm / welcher an den Fingern und sonderlich an den Fingern aus einer putrefaction gebohren wird; und so er nun gebohren ist / so fangen die Wurzeln des Nagels an zu schwärzen / brennen und lauffen auff / und nagen als ein Holzwurm / und wann er nicht getödtet wird / so wird das Geschwir groß / und fässt mit der zeit das ganze Glied hinweg / und dieses hab ich gesehen an einem Knaben unter dem Herrn Heinrich Schencken Frey-Herrn zu Tautenburg / der hatte an dem Finger grausame Schmerzen / daß er oft vermeinte er müste von Sinnen kommen / und flagete meistenthalts / daß es in dem Finger also nagete / daß ers eigentlich fühlen könnte / als wie eine Maus an einem Kindein Brot / und hatte das Geschwir ein Löchlein bekommen

B

men

men. J. H. der Herr ließ den alten Herrn D. Zach. Brendeln/ Simon den Balbier von Tschna/ und mich dazu holen/ ob wir doch den Knaben von den Schmerzen helffen könnten/ der Knabe bestand drauff/ es wäre etwas lebendiges in den Finger/ wir woltens nicht glauben/ ob wir schon bey dem Paracelso gelesen / daß es ein rechter lebendiger Wurm wäre/ so gaben wir ihm doch keinen Glauben/ und meyneten/ es wäre lauter Phantasey/ ich sagte gleichwohl wir müssen den Knaben von den Schmerzen helffen / es wäre uns sonst eine grosse Schand/ wann wir nicht einen solchen Schaden solten curiren können/ wir legten darauf was wir wolten/ das Geschwür zu vertreiben/ es halff nichts/ und war doch nicht ein rechtes Geschwür/ es ließ nur meistentheils ein gelbes und rothes Wasser heraus/ und konte der arme Knabe im geringsten keine Linderung finden/ und damit er nicht ganz vom Verstande/ durch das stetige Waschen kommen möchte/ gaben wir ihm bisweilen das Laudanum Opiatum ein/ aber es halff was es konte / dann der grosse Schmerz ließ ihn nicht ruhen/ endlich setzte der Balbier an den Ort/ da der Knabe wiese / wo es so nagte/ ein Corrosiv, und machte ein Löchlein/ es gieng aber nichts heraus/ und als wir recht darzu sahen / so bedünckte uns/ als wann etwas braunes darinnen lege und bewegte sich/ da griff der Balbierer mit dem Instrument hinnein / und langte es heraus/ da war es ein brauner natürlicher Wurm/ und war rauch/ war ohngefehr so groß als ein kleiner Haselwurm/ doch war er nicht so rund. Darauf sagte der seelige Herr D. Brendel / nun sehe ich daß Paracelsus kein Narr gewesen / Er hat die Natur besser verstanden als die Alten/ davon wir so hoch halten/ und vermeinen sie können wie der Papst nicht irren / Sie mögen so lange von ihren humoribus schwazzen so lange sie wollen/ so sehe ich gleichwohl

wohl ein lebendiges Thier / und keine Choleram oder Melancholiam, und so bald der Wurm heraus kam / alsbald war der Schmerz hinweg. *Chirurg. parv. Tract. 5.* von den Wurm. Experientiae obloqverer si hæc in dubium revocarem præprimis cùm vermes in aliis corporis partibus solidis generatos passim observatū legatur, & J. B. Tavernier. Persianischer Reise *Lib. 5. c. 22.* referat: In dem das Wasser in Ear in Persien lange in denen Eisternen steht und faul wird / wächst eine grosse Menge kleiner Wurm darein / ja ob man es schon durch ein rein leinen Tuch lauffen lässt / kan man doch / wo etwas scharff darauf gesehen wird / etwas kleines wahrnehmen / so der Samen der Würmer ist. Solch faul Wasser verursachet sonderlich an Schenckeln und Füßen grosse Würmer / und habe ich in Paris einen dergleichen dritte halb Ellen langen Wurm über den linken Fuß / auch einen andern unter dem Knochen des rechten Fußes einer halben Ellen lang heraus bekommen. Semper verò causam Paronychiaæ vermen esse hactenus mihi vix persuadere patior: reperit enim statim sub cute &c. ad ungulam semper nonnihil ichoris, qvā maculâ incisa statim cessavit dolor. *G. Fabritius Hildanus Observ. Chirurg. Cent. 1. obs. 97.* Illud etiam quotidie observatur, nec ichor ille unquam suppurratur. IX.

Humorem corrosivum aquæ fortí non dissimilem esse, tum ex ichore in macula contento, utpote qui nunquam suppurratur, tum ex atrocitate doloris, nervos tendinesq; rodentis, tum ex carie ossum consequente colligo, hæc namq; nigredine tetra affecta & quasi calcinata, cinerei coloris & friabilia fuisse in digito absciso, legitur apud *Th. Bonnettum Anat. Pract. Lib. 4. Sect. 2. Obs. 16.* Rationem verò hactenus reperio nullam cur illum volatilem esse putem. V-

latile enim & fixum cum merum denotent respectū, & qvæ in igne fixa in corpore sæpè sint volatilia, hic proinde deberet dici respectu corporis, in quo est & qvod afficit, volatilis, id est deberet abire in auras, vel per corpus oberrare, & successivè hæc vel illa membra occupare, sed neutrum horum fit, qvin potius ubi semel hæret, ibi vix ac ne vix unqva in discussit, & nisi ferro rem fueris aggressus, permanet donec partem ad internectionem usq; deleverit; qvod si fixum dici non debeat, nescio qvid fixum dici possit. Præstaret forsan si volatilis foret nec enim tam præfractè hæreret, sed vel de membro in membrum iret, vel in auras evanesceret, qvale qvid in arthritide vaga observare est, sic per intervalla dolerent membra, reqvies concederetur ægro, partibus affectis non imminereret mors, rùm interea temporis medicamentis malum aggredieremur. Judico proinde acidum esse humorem qvi in vesicula colligitur, qvia salia acida sunt, qvæ maximè corrodunt, qvæ cariem ossib⁹ inferunt, qvæ atrocissimos dolores faciunt, qvæ magno numero in sanguine humano reperiuntur, & funesta in partibus solidis sæpe dramata ludunt. Qvod vero in vesicula colligantur, id vel fortuitum est, vel à causis supra Th. VI. memoratis externis oritur, & cuicunq; causæ originem debuerit, aliud illa contribuit nihil, nisi qvod unum vel alterum tubulum obstruat, qvod cùm causæ externæ præstent perqvam facile, illas etiam sæpè non animadvertisimus, vel animadvertere possumus, à minimis enim dependet circumstantiis, hinc est qvod ex improviso ægros corripiat: sanissimus enim omnis noxæ expers sanguis habet & habeat oportet in se salia acida, sed qvoad illæ aliis corpusculis diluta ac involuta sunt,

funt, unaqve cum iis in circulum eunt, non nocent, cum autem propter natas obstrukiones sistuntur facile fit, ut magna aqpearū aliarumq; minorum & volatilium pars abeat, hæc cum paucis aliis hæreant suisq; spiculis nervos pungant & scindant, qvæ si pauca fuerint, si in extremis digitorum articulis substituerint Paronychiam, si plures & in aliis partibus substituerint alios affectus faciunt.

**X.**

Exquisitissimè dolet digitus qvi qvoad profundiòr eò atrocior dolor est. Vel enim rodunt periostium easalia, vel nervos per carnosas digitorum pulpas distributos, cùm hoc fit, minus, cum illud magis profundè dolent. Dolorem ab arrofis atq; vellicatis nervis, cum periculum ruptionis iis imminet, oriri, cumq; eo periculo aucto augeri lippis ferè & tonsoribus notum est. Notum pariter est nervos, cùm musculos subingrediuntur, in communem illorum tunicam explicari & una cum expansis tendinosarum qvarundam fibrarum extremis membranam musculi propriam constituere, è qva emisæ fibrillæ fibras tendinosas penetrant & in illas desinant: & nervū, qvi musculū subingreditur, infinitas fibras, qvæ sensum etiam fugiunt, ex utroq; latere emittere, qvæ invicem contextæ tenuissimas membranas constituant, qvarum innumera & subtilissima fila tendinosas musculi fibras ex transverso penetrant, simulque operis textorii stamen æmulentur. Notum etiam est, nervos, cùm in partes membranosas atqve adeò etiam periostium inseruntur, ita extendi, ut ipsimet in eas, qvas penetrant membranas, abeant. Notum denique est tendinibus nervosis in articulos digitorum

B 3

inseri

inseri musculos, unde facile concludes h̄ic loci ab humore corrosivo exquisitè dolere ægrum, doloremq; illum exquisitum magis esse, si is circa periostium hæreat, cum meros nudosq; ve ibi offendat nervos, qvām si in musculis aut eorum tendinibus, cum hic nervi non ita nudi sed tendinosis vel carnosis fibris intertexti, adeoq; minus corrosivorum salium actionibus expositi sint, aut ad minimum à pari ssalium quantitate tanto numero hic quam ibi tangi non possint. Vermem rodentem mentitur dolor, qvoties salia impulsa & commota in fibras adiguntur per intervalla eaq; pro modulo impulsus pungunt, non alio sensu atque si dentibus vermium roderentur, ex consuetudine namq; judicans mens illos revera tales esse firmiter credit.

## XI.

Salia in periostium vel tendinem vel carnem adacta & hærentia in eorum poris illos vel in totum obstruunt vel ex parte saltem, inq; casu hoc posteriore pernix adest æther, qui fulguris analogo motu per relicta fluit interstitiola, & vehementi suo transfluxu fibras solito vehementius concutit, humores rarefacit, quo ipso fibræ tenduntur fortius, iis periculum ruptionis imminet majus, unde digitus dolet, tumet, calet, utque verbo dicam, inflammatur, quæ in casu priori non ita observantur. Cum juxta fibras tensas excurrit arteriola, singulis pulsibus fibras ferit, periculum ruptionis auget, quod demum cum subsidente arteriola cesat, inde est quod dolor pulsatilis observetur. Etsi deniq; propter nimiam tensionem actu rumpantur fibræ resiliunt illæ in cincinno, & tum cavitatem relinquent, vicinostubulos obstru-

obstruunt, qvo ipso circulantibus humoribus intercluduntur viæ, illiqve in cavitate collecti acescunt & in pus abeunt, & nisi in tempore remedia adhibeantur succus nutritius sine ordine fibris apponitur & caro spongiosa pullulat. Aliqando verò antefactam suppurationem pars sphacelatur, cum videlicet circa periostium acris colligitur humor, qvi ossa statim una cum eo arrodat; facile enim fit, ut cùm partes istæ exsuccæ sint prius emoriantur, qvàm pus colligatur.

XII.

Inflammationes majores & cum in vicinia majorum vel multorum sanguineorum vasorum fiunt, febres habere comites earumq; causas esse palam est: sed minor est hæc, inflammata pars oppido remota, & pauca minimaq; vasa sunt ut ab ea febrem continuam produci posse vix verosimile sit: crediderim igitur potius à summis illam fieri doloribus, qui adeò atroces sunt ut noctes fiant insomnes, partesq; vicinæ subindeq; totum brachium in consensum trahantur. Dolorum occasione vellicatis tām atrociter nervis spiritus non modò in partem affectam sed universali irradiatione per totum corpus & ad omnia viscera ruunt repetitisque vicibus suo influxu contrahunt concutiuntq; omnia & viscera & vasa, sanguinem humoresq; coaqvassant, motum eorum non modo, sed etiam mixturam turbant, & qvoad durant turbatam fervant & sic febrem continuam faciunt. Qvam qvandoq; lipothymiæ comitantur, tum nempè, cùm spiritus, qvemadmodum ad reliqua viscera, ita etiam cor fluunt, ejus orificia coarctant, sanguinis egressum aliquantis per impediant, ut ille

qvi

qui jam tum turbatus est, nec tanto impetu nec tanta quantitate arterias subeat, hinc spirituum minor copia, quam presso pede sequitur lipothymia. Cumque lipothymia non multum à morte distet crediderim quandoque Reduviam observatam lethalem, cum nimis coarctatis vasorum tunicis cordisque orificiis sanguinis motus interceptus est.

## XIII.

Prognosis variat, si enim malum recens & in partibus carnosis sit, citò & facile satis in principio, vel curatur vel impeditur, non enim subito semper progreditur, novitq; Dn. Præses Virginem digitorum Paronychiis frequentibus obnoxiam, quæ cum imminet, de rosionibus, es fresse ihr darinn / aliquamdiu conqueritur, cui si temporius occurrat, malum antevertit, sin minus, patitur Paronychias sed hactenus saltem subcutaneas. Si in profundo hæret vix spes est sine sectione curatum iri, quinimò si aliquamdiu duraverit, justus metus est os esse erosum, tunc prognosis erit difficilima, corruptitur enim articulus & quandoque totus digitus eiique nunquam sphacelus vel mors succedit: nec facilior inveteratae & suppuratae prognosis est.

## XIII.

Plurimi Practicorum qui in sanguinem culpam conjiciunt à generali humorum evacuatione per VSnam & purgationem curam ordiuntur. Cùm autem Paronychia cæteroquin optimè valentibus contingat, illam qua talem neutrum indicare, sed omnem Medici intentionem ad partem affectam dirigendam putem. Cumq; macula ista humore acre plena vel statim sub cute, vel circa periostium, hocq;

hocque vel in digiti parte anteriore, vel inter os & unguem latere possit, iisque in locis etiam observata fuerit, hoc curam aliquo modo variabit. In omnibus tribus casibus id agendum, ut humor ille acris involvatur & emolliatur, vel discutiatur, vel educatur, quod facilius in primo quam secundò & hoc quam tertio casu fiet. Cum spes est medicamentis rem confici posse, emollientibus discutientia maritentur, fovendo digitum cataplasmatibus paratis è floribus chamomillæ, meliloti, sambuci, anethi. Herbis emollientibus, ruthæ, Salv. Sabin. seminibus lini, psyllii, fænugræci, cumini, papaveris, altheæ, horumque farinis, ut & hordei, fabarum, altheæ, quibus in dolorum atrocia jungantur hyoscyamus, tabacum, mandragora, opium, camphora, in lacte coctis. Eo spectant ferè omnia, quæ passim ab Autoribus tantopere laudantur, nisi quod nonnulla illorum magis discutiant, alia emollient magis, alia utrumque, sed diversa proportione faciant. Digitum per longum tempus in ovo putrido detentum plurimos curasse per experientiam constare, alias eum in musculis putridis tenuisse optimo cum successu & magna cum laude, scribit P. Forestus *Obs. Chirurg. Lib. 5. Obs. 16.* Longa experienciâ se didicisse, quod lumbrixi vivi impositi dolorem abstulerint: item remedium certum esse, si fimetorum aqua, Mist. Pflixe/ madefactum linteum digito saepius circumvolvatur, se item saepius comperisse optimum successum ex Unguento parato ex allii unc. s. Asæ fœtidæ drach. ij. simul in mortario tusis, & cum albumine ovorum in Unguentum redactis, scribit Joh. Agricola *Chir. parv. Tract. 5.* Vermes in Dipsaco seu Labro veneris Joh. R.

C reper-

repertos R. Dodonæus *Herb. part. V. lib. 25. cap. 17.* laudat. Unguentum populeum cum melle æquali portione mixtum & croci aliquantulum efficax est remedium. P. Vigierius *Cbir. Lib. 1. cap. 44.* Cataplasma oxalydis coctæ, recenti butyro aut axungia porci admixtæ optima esse & appositissima: Muscum nucis in vino coctum in momento sedare si digitus ejus vaporí exponatur & deinde apponatur; mirabile item esse sal prunellæ & succum liquiritiæ applicata scribit D. de Planis Campy *Chirurg. part. V. cap. 7.* Porcinum stercus cum aceto decoctum super impositumque commendat Paracels. de Apostem. c. 15. Anserinū stercus calens adhuc ab ansere excretum, Platerus: stercus felium jamjam excretum, Weickardus: Ientem palustrem, Valeſcus: Radicem urticæ albæ cum vino coctam, Dorncrellius: Cruorem & pellem talpæ, Helmontius: Sperma ranarum & Sperniolam Crollii, Ettmüllerus laudant. Elixir suum balsamicū, quod sequens est: Rec. Rad. Angel. Imperat Zedoar. aā unc. f. Cubeb. drach. ij. Caryoph. Scrup. j. Croci drach. f. Castor. Unc. f. Gum. Galb. assæ fœtid. aā. Unc. j. Benzoës, Storac. Calam. aā. Drach. j. Myrrh. Drach. iij. Mumiae, Drach. j & f. Camph. Drach. ij. Tinct. Sulph. q. f. calidè applicatum, desuper imposito Cerato ex Gummatisbus, Croco, Camph. &c. commendat J. Helv. Juncken, in *Compend. Chir. sed. 2. obs. 2. c. 12.* Pro indubitato itidem commendat H. Overkamp. Rec. Elix. Vit. Unc. ij. Spir. Ther. Matric. Myrrh. aā. Unc. f. Camph. drachm. i. Tinct. Castor. drachm. ij. Opii drach. i. M. in quo calefacto digitus per duas vel tres horas detineatur, dein seqvens cataplasma circum-

circumponit : Rec: Herb. ruth. salv. rorism. sem. cumini, fœnic. àa. Unc. i. & s. macis, nuc. mosch. àa. drach. iij. Sabin drachm. vj Croc. opt. drach. v. ol. mac. drach. s. panis biscoct. q. s. coq. in vino Gall. & calidè singulis trihoriis circumponatur. *Nieuw Gebowder Chirurg. part. 1. cap. 24.* Si digitus in ferventem aquam vel lixivium demittatur, & inde iterum quām citissimè eximatur, excoqui vitium & igne prævalente discuti doloris somitem & remedium esse singulare nec omnino falsurum lege sis apud *M. A. Seuer. Pyrotech Lib. 1. part. 2. cap. 2.* Illudque jam approbavit *Fabric. ab Aquap.* si in initio fiat, utpote, cum tunc statim discutiatur & educatur acris humor *Chirurg. part. 2. cap. 107.*

XV.

*G. Falloppius* solis repellentibus in initio negotiū aggreditur, eosq; qui ad doloris mitigationem se convertunt pro ignaris habet; laudat omnia acerba & repellentia, linteo acetō acerrimo madefacto digitum obvolvit, vel succum limonum imponit, vel illum in succo agrestae tenet, vel ex aliquo horum cum farina cataplasma facit. *Oper. Tom. 2. Tract. de Tum. c. 29.* Non adeò hoc improbare possum, constringunt enim pori, effusio materiae acris impeditur, præprimis cum ejus collectio non in profundiorib<sup>9</sup> partibus sit (si enim circa perioustum fiat, vix eo usq; penetrabit) ut & si subito non colligatur, sed rosiones præcesserint, ex quibus concludatur imminentia Reduviam. Solis tamen adstringentibus non contentus forem; sed iis adderem tum anodina, tum discutientia, Diascordium videlicet Theriacam, Mithridatum in acetō soluta & calidè applicata, aut insuper cum a-

C 2

qua

qua vitae vel supra laudatis spirituosis distemperata, facilius enim penetrant & mali somitein attingunt. Aut si horum loco aquam auratam ad instar chalybeatæ per extincionem paratam sumere quis velit, utpote quam solā Paronychiæ dolores sedare, si digitus in illa aliquantis per calida detineatur, dicit Georg. Hier. Velschius Mictom. 71. ad A. N. C. Dec. 1. ann. 4 & s. perme licet. Et mecum sentit M. Glandorp. dum ait, repellentibus admiscenda esse ea quæ membrum confortant, quæque tonum ac robor partibus inde-re possint cap. 18. additq; se ex omnibus, quos hucus-que sub cura habuerit, nullum solis percussivis ex toto curasse, sed leviora ex illorum usu aborta sym-ptomata. cap. 22. Meth. Med. Paronych.

## XVI.

Sed quando materiam acrem dissipare non licet ferro res agredienda est. Incisio, quam tantopere pas-sim laudant Chirurgi, in dito fiat, sed quoad fieri po-test sub initium, antequam tumor & inflammatio di-giti eam difficilem reddant; *Guil. Fabricius Hildan.* ait se semper ad ungulam sub cute nonnihil ichoris in-venisse, adeoq; superficialem modò vult incisionem, cum nec dolorifica sit, nec nervos aut tendines offendat, eam verò quæ ad os usque fit tanquam pe-riculosam improbat. *Cent. 1. Obs. 97.* Rem hoc modo conficies, si sub cute collectus fuerit ichor, si verò ille circa periostium hæserit laterem lavabis nisi illa ad os usq; facta fuerit. Explorabis itaque diligenter ex Th. V. an in profundo lateat nec ne, ipseq; dolor in-dex erit, in quam nam digiti partem incumbat, quam-que regionem occupet, sitne ad latera, antica, an po-stica digiti parte, è regione enim somitis incisio faci-enda

enda. Cùm superficialis est, res factu facilis erit; sed circa periorstium si fuerit, digito asseri firmiter imposito ibiq; detento, cuspis vel acies cultri recta adigatur ad os usq; & juxta longitudinem ejus ducatur, ita ut vulnus in summo & profundo sit ejusdem magnitudinis. Si res ita patiatur in lateribus digitorum fiat, ne perforator tendo lædatur; cùm deceptus fueris, nec simplex suffecerit, in altero etiā latere reiteretur. Sin verò in apice digiti circa mediū fuerit, ibi etiā incisio fiat, dummodo enim in medio articuli incep-ristendinē non lædes. Inter ungvem & os si fuerit, trepano exfoliativo in medio ungvis foramen fiat, per quod culter adigatur ad os usq; ut ichori exitus detur. Operatione facta digito imponatur spiritus vini vel aqua vitae in quo soluta Theriaca una cum camphora, vel urina vetus & putrida. Experientia comprobatum laudat seqvens digestivum *J. Beverwyk.* Rec. Succi hyperici, Paludapii, Gentianæ minoris, millefol. absynthii, Chel. maj. Persicar. ãã. Unc. i. ss. mellis de- spum. libr. i. oleum hyperic. unc. vi. Thereb. unc. iii. alum. ust. drach. i. farinæ triticeæ q.s. M.f. linimentum. *Chirurg. cap. 15.* Cujus primam descriptionem, cum illud tanquam sumum arcanum in Panaritio laudet, vendicat Hugoni cuidam aromatario. *Pet. Forest. Obs. Chir. lib. 5. obs. 16.* Vel solo etiam & familiari Chirurgis digestivo aut si majori abstersione opus Ung. Apost. Suspecta tamen hic merito sunt corrodentia, tū quod materia jam adsit acris, tum quod partes subjectæ sint tendinosæ: ad crebram experientiam provocat *Matth. Glandorp.* se nunquam facta sectione usum pyroticis cum successu, supervenisse enim ac in sequutas ex horum usu, etiam si dexterime imposta, ingentes & no-

vas. inflammations, sed se tuto, leniter etsi tardius balsamo suo hyperici hunc affectum debellasse. *Meth. Med. Paron. cap. 24.* His similibusq; facile curabis Reduviam, nisi os carie infectum deprehenderis, si enim illud fuerit, carie ossis juxta regulas artis curata suppululabit caro vulnusque consolidabitur.

## XVII.

*Lazarus Riverius* duo exempla refert quibus transplantatione Panaritium ipse curavit, in primo digitū in aurem felis imissit, quo facto per intervalla sensit calorē humeros & brachia invadentē, ac sensim descendē cū gravissimo extremitati dolore, calore postmodū evanescente & paulopost denuo invadētē cum simili dolore ægraque intra horæ quadrantem curata est. In altero sensit per intervalla attractio- nem digitī in cavitatem auris, subitoque dolor totum brachium invasit usque ad humerum. Et in primo casu felis sese vehementer commovit, ut à duobus hominibus ægrè contineretur, in altero vociferatus est & intra duas horas doloris expers æger fuit. *Observ. Cent. 4 Obs. 19. & 63.* Duo hic fiunt, dolor nempe primo sedatur, deinde felis eo afficitur? Quod dolor mitigetur non adeò quidem mirarer intuitu transpirationis felium, quæ digitum cavitate auris exceptum undique ferit, & ceruminis in auribus collecti, cùm vel sola cerumina illita ex auribus auriscalpro excepta commendet *F. Joël Præst. Lib. 10. Sect. 41.* Stercus etiam felium jamjam excretum apposita reliqua omnia facile superare *A. Weikard. Thes. Pharm. l. 4. c. 1.* scribat. Felis igitur tūm transpiratio- nis, tūm ceruminis particulæ à calore in digitum adactæ ad focum penetrando, humorem acrem vel mitiga-

mitigare vel expellere posunt. Id verò miror, quod dolor felem occupet & in illam transplantetur: quod forte hāc ratione fieri concipio: quod ichor acer referatis à calore felis poris subeuntibus corpusculis transpirationis & ceruminis locum cedat, ab iis expellatur, & à poris felis receptus nerveum illorum genus ex genio vellicet & dolorem excitat, ita ut dolor transplantatio indicium modo sit è digito pulsæ & ab auribus receptæ materiæ acri. Hoc verò ab effluviis ut expectem, non modo me varia exempla, sed stupendum illud virgulæ divinatoriæ, prolixius dans le traitte de la Baguette Divinatoire par M. L. L. de Vallemont, descriptæ, movent.

## XVIII.

Hæc cura naturalis est, præter quam duplice aliam adhuc habet Th. Paracelsus, nempè per characteres & per superstitionem Chirurg. Min. lib. 3. c. 3. Characterem esse ajunt glossatores ABRACULATUS, quod scribunt in charta, digito circumligant ellipsisque tribus horis panaritium curatum ajunt. Superstitionalem benedictionibus peragunt, sumendo aquam benedictam, quicum admixto sale cardui benedicti requisitis solennibus baptizatur digitus, in qua donec moriatur vermis, detinetur, vel aliis. Sed cū hæc similiave Christianum non deceant & à recta ratione aliena sint, recitasse est refutasse, & notabile in pœnam superstitionis exemplum legitur apud M. Glandorpium, dum refert rusticum Paronychia medii digiti affectum Exorcistæ auxilium implorasse, qui conjuratione peracta, chartam, hisce characteribus † ut † credis † ita † tibi † eveniat † conscri-

scriptam vinculo firmiter circumligavit, promittens post tres dies vermem sub chartâ conspicuum futurum. Maximi dolores, ut schedulam afferret, rusticum non commovebant, sed Exorcistæ promissis confusus tertio demum die remotis fasciis pœnam suæ superstitionis vidit, quam quarto die luit, gangrena enim serpendo illum supervenientibus convulsionibus extinxit. *In decad. observ. Paronych. obs. 5.*

## XIX.

Sin autem tardius advocatus fuerit Chirurgus, & digitus ob diurnitatem inflammationis jam fuerit suppuratus, rupto tumore cavendū ne tendines corrumpantur, siq; caro luxurians excreverit, & ex Reduvia Pterygium factū sit, illud ferro vel medicamentis exedendū est. Aut si jam sideratus fuerit exstripandus. De qvibus tamen omnibus ex professo nihil addo, cùm non soli Panaritio propria, sed illi cum aliis affectibus communia sint, & ex suo qvodque capite peti possit.

## XX.

Circa Diætam ut prolixus sim necesse non erit, nisi forsan symptomatibus Reduviæ illam accommodare quis gestiat, illa qvippe sanissimum invadit, & hanc occurrentes circumstantiæ variabunt.




01 A 6559



5b.

W 17



**Farbkarte #13**

|             | Black | 3/Color | White | Magenta | Red   | Yellow | Cyan  | Green | Blue  |
|-------------|-------|---------|-------|---------|-------|--------|-------|-------|-------|
| Inches      | 1     | 2       | 3     | 4       | 5     | 6      | 7     | 8     | 9     |
| Centimetres | 2.54  | 5.08    | 7.62  | 10.16   | 12.70 | 15.24  | 17.78 | 20.32 | 22.86 |
| B.I.G.      | 19    | 18      | 17    | 16      | 15    | 14     | 13    | 12    | 11    |

43  
46

DISSERTATIONEM  
CHIRURGICO-MEDICAM  
DE  
**PARONYCHIA,**  
PERMITTENTE  
*GRATIOSISSIMA FACULTATE MEDICA*  
ALMÆ ELECTORALIS VIADRINÆ,  
PRÆSIDE  
**DN. BERNHARDO ALBINO,**  
PHILOS. & MEDICIN. D. P. P. ORD. SERENISS. ET.  
POTENTISS. ELECT. BRANDENBURG. CONSIL.  
ET ARCHIATRO,  
*DOMINO PATRONO ET PRÆCEPTORE SUO,*  
*NUNQVAM SATIS SUSPICIENDO*  
Ad Diem 2. Novembr. Anno M DC XCIV.  
publicæ eruditorum indagationi  
permittet  
**NICOLAUS PRIVIGYEI**  
N. Hung.  
\*\*\*\*\*  
FRANCOFURTI ad VIADRUM,  
Typis CHRISTOPHORI ZEITLERI.